

Primatus super Confanam & Acheruntinam Ecclesias.

Primus inter ceteros Evangelii seriem scribere inspiratione divina exorsus est. Hic in divini seminis fructu trium ordinum coronam centesimam singulariter reportavit, ut simul Apostolus, Evangelista, & Martyr existeret: adjecit ad hęc omnipotens Dominus, ut eandem Ecclesiam gloriosorum Martyrum Fortunati, Gaji, & Antheis, triumphis simul & corporibus honoraret. Apposuit etiam tertii muneris claritatem, ut eam nostris temporibus Gregorii apostolicę memorię Papę VII. tam exilio quam tumulo illustraret; cujus quam egregia vita, quam preclara doctrina, quam miranda constantia fuerit, Romana Ecclesia predicat: Occidens universus agnoscit: Tyrannorum pertinacia tolerata & conculcata testatur. Nec illud tamquam ingrati preterimus, quę inter multimodas Sedis Apostolicę persecutiones, quas nostris temporibus pertulit Ecclesia eadem, gloriosissimorum Ducum Roberti, & filii ejus Rogerii, devotione ac studio, filiorum Sedis Apostolicę, nonnunquam etiam nostri ipsius requies & portus fuit. Cum igitur per omnipotentis Dei gratiam Sedis Apostolicę, licet indigni, moderamina teneamus, tantis divina gratia beneficiis, & vestra devotionis officiis per sententię Romanę Ecclesię liberalitatem concurrentium & respondendum arbitrati sumus; ob reverentiam siquidem S. & Gloriosę, semperque Virginis Dei Genetricis Marię, & beati Apostoli Evangelistę ac Martyris Matthęi, ob devotionem reverendissimi Patris ac Prędecessoris nostri Gregorii, ob petitionem nihilominus tam tuam quam charissimi filii nostri Ducis Rogerii, qui semper Apostolicę Sedi fideliter obsecutus est, veterum etiam Ecclesię vestra privilegiorum rationibus informati: Tibi deinceps tuisque successoribus super Confanam, & Acheruntinam Ecclesias & earum Suffraganeos Primatum gerere ex Apostolicę Sedis liberalitate concedimus. Has nimirum Ecclesias sive civitates Ecclesię vestra privilegia continent, tamquam vestra Metropoli olim ex Apostolicę Sedis concessione subiectas. Verum, & ipsę, qua nescimus ratione, & pallei dignitatem, & privilegiorum auctoritatem præteritis temporibus a Sede Apostolica meruerunt. Verum, quia prædecessorum nostrorum statuta inconcussa & intemerata manere cupimus, eis quidem propria dignitatis gratiam conservamus, ut Archiepiscopali honore ac nomine potiantur: Vestra vero Ecclesię suorum privilegiorum integritatem hoc ordine restitimus. Quidquid igitur reverentia, quidquid subjectionis Primatibus persolvendum, sacrorum Canonum decreta constituunt, tibi deinceps tuisque successoribus legitimis a Confanam & Acheruntino Archiepiscopo persolvatur. Quin etiam ex abundantia gratię plenioris adjicimus, ut etiam præsentę Romanę Legato Ecclesię in suprascriptis duabus Metropolitanis Urbibus, cum tuo semper aut successorum tuorum consilio Archiepiscopi eligantur. Cum vestris etiam literis aut nuntiis consecrandi ad Sedem Apostolicam dirigantur. Et item ipsi ad successorum tuorum electionem nihilominus advocentur. Post consecrationem vero, vel Pallium ab Apostolica Sede perceptum, tibi tuisque successoribus tamquam Primati obedientiam promittant & exhibeant: Salva in omnibus secundum canonicas sanctiones Romanę

Illorum Archiepiscopi. semper cum consilio Salernitani Archiepiscopi eligendi.

Cui post consecrationem obedientiam promittant.

auctoritate Ecclesię, ipsarum etiam Urbium privilegii robur proprium obtinentibus. Oportet igitur, & vos propensiores deinceps Apostolicę Sedi devotionem & obedientiam exhibere, & ejus in omnibus decreta efficacius observare, ut quanto per eam altius supra ceteros sublimamini, tanto ei humiliter & cordis affectione, & operis exhibitione subiciamini. Vitam etiam vestram, & mores sollicitiori expedit custodia moderari, ut qui aliorum Judices eligimini, vosmetipsos prius secundum Apostoli sententiam districtius judicetis: Mandatum Domini sine macula, & irreprehensibile conservate; ut cum apparuerit Princeps Pastorum, percipiatis immarcescibilem glorię coronam. Fraternalitatem vestram superna Dignatio per tempora multa conservare dignetur incolumem. Si quis autem, hanc nostrę constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertioque commonitus, si non satisfactione congrua emenderit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque in extremo examine districtę ultioni subiacet. Conservantibus autem hæc pax Domini nostri Jesu Christi, & misericordia; quatenus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternę pacis inveniant. Amen. Amen.

S. PETRUS S. PAULUS. URBANUS PP. II.

Datum Salerni per manum Johannis S. R. E. Diaconi Cardinalis XIII. Kal. Augusti Indictione VI. ab Incarn. Dom. Anno MXCVIII. Pontificatus autem D. Urbani II. Papę XI.

Adhortatio ad Salernitanos Archiepiscopos.

Clausula.

Dat. die 10. Julii an. Dom. 1098. Pontif. anno XI.

XLVIII.

Cella Cinglensis Monasterio Montis Casini asseritur, injuncta tamen lege, ut semper illic Ancillarum Dei congregatio remaneat.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Cassinensis Cœnobii Monachis salutem & apostolicam benedictionem.

Ex Archivio Cassinensis editis Mabill. loc. cit. n. XLVII.

EX officii nostri debito & auctoritate commpellimur, Ecclesiarum salutem & paci, prout Dominus scire & posse dedit, providere: vestri præcipue Monasterii, quod sanctę nostrę Sedi Apostolicę semper familiaris ac devotius adhæsit, & in omni persecutionis opportunitate promptius ac benignius adfuit. Ideoque opportunum duximus secundum petitionem venerabilis fratris nostri Oderisii Abbatis vestri, nostris in posterum literis annotare, qualiter Cinglensis cellę causa, unde vestrum Cœnobium diutius inquietatum est, nuper in nostra sit audientia nostro judicio diffinita. Quod enim dilectio vestra plenius novit, sæpe de eodem negotio in Romana Ecclesiã inter synodales actus ante Prædecessores nostros quęstio acta est a sanctę memorię Desiderio Apostolicę Sedis Presbytero Cardinali, & Monasterii Cassinensis Abbate, qui postmodum divinę dignitatis gratia ad summi Pontificatus apicem pervenit, sed exiguo

Proemium.

Series Controversiæ de Cinglensi cella.

quo tempore supervixit. Nostro etiam tempore in synodalibus gestis a confratre vestro, quem superius nominavimus, Oderisio, sanctę nostrę Ecclesię Presbytero Cardinali, de causã ipsã coram nostrã est præsentia sæpius proclamatum. Accidit autem, ut Robertus Comes, ad beati Benedicti devotionem promptius conversus, locum ipsum ad vestri Monasterii jus pertinere cognosceret, qui mox eundem locum in manum præfati fratris nostri Oderisii reddidit; eo siquidem tempore Abbatissa, quę in cellam violenter ingressa fuerat, ejusdem Comitissę timore discesserat. Cœpit inter hæc illa nostrę auctoritatis aurem, dum in Urbe essemus, crebris clamoribus appellare; unde nos ex latere nostro Viros strenuos usque Capuam destinavimus, qui diligenter causam utramque cognoscerent, & pacifice definirent; quod tunc quidem quibusdam occasionebus ad effectum pervenire non potuit. Post aliquantum pro causã ecclesiasticis Urbem egressi, cum eandem causam diligentius in utriusque partis præsentia tractarem, cognovimus, præfatum venerabilem fratrem nostrum Oderisium Abbatem vestrum, non malitię intentione, sed justitię respectu locum illum tamquam sui juris, de quo sæpius proclamaverat, recepisse. Enim vero & pontificalibus decretis, & regalibus instrumentis, & loci fundatoris chirographo cellam ipsam ad vestrum ostendebatur Monasterium pertinere. Quia tamen sine judicio præcedente receperat, æquum nobis visum est, ut Abbatissa, quę se querebatur expoliata, reinvestiretur; post reversionem vero nostram in utramque partem legitimum iudicium ageretur. In iis diebus, largiente Domino, plenarium in Barensi urbe concilium celebrare disponebamus. Post menses igitur sex Abbatissam illam & literis, & nostri oris invitatione revocavimus: venire quidem renuit, sed nuntium destinavit. Cum autem minus plenas, nec satis rationabiles causas de illius absentia coram concilio reddidisset; nos, ne quod illa gravamen pati querebatur, ejusdem causę actionem usque ad nostrum reditum duximus deferendam. Porro Beneventum venientes, iterum nostras ad illam literas destinavimus, diem & locum, quo causa ventilanda fuerat, designantes. Cum autem nec tunc venisset, ad locum alium eam tertio vocavimus. Venit illa, sed causam aggredi recusavit, asserens se nequaquam omnia Cinglensis cellę munimenta & literas recepisse; ad quod Fratrum nostrorum quidam sacramentis asserere parati fuerant, se nec plures nec alias in loco eodem cartas, quam quas reddiderant, invenisse. Illa secreta nonnullis fratrum, qui nobiscum erant, munimenta sua prodidit; nobis autem ostendere detrectavit; cumque iudicario ordine causam nec vellet agere, nec valeret, nos eam, ut ad Abbatis & fratrum vestrorum concordiam satageret, commonuimus: nec monita suscepit, & iudicium penitus subterfugit. Iterum Cœnobii vestri munimenta vidimus: iterum Pontificum Romanorum privilegia, & Imperatorum scripta perpeximus: iterum fundatoris loci chirographum, & Beneventani Principis, qui tunc temporis fuerat, concessionem audivimus; quibus omnibus instructi, ut prius, sumus, Cinglensem cellam ab ipso fundationis exordio ad Cassinensium Cœnobium pertinuisse; & per Cassinensium Abbatis voluntatem, Sanctimonialium ibi congrega-

tionem fuisse dispositam. Sic post multas tandem dilaciones, negotii veritate perspecta, communicato cum fratribus nostris Episcopis, seu Romanę Ecclesię Cardinalibus, Judicibusque consilio, venerabili fratri Oderisio Abbati vestro Cinglensẽ Monasterium ex integro restitimus; ita tamen ut de loco ipso Sanctimonialia minime expellantur, sed semper illic puellarum Dei Congregatio conservetur, tantõ, ut speramus, religiosius, quanto sanctiori Patrono Monasterioque commissa sunt: salva in omnibus Sedis Apostolicę reverentia. Quam scilicet restitutionem literis præsentibus ratam & inviolatam perpetuo manere censemus, dico, decernimus. Si quis autem post hæc, hujusce actionis tenore cognito, constitutioni nostrę temere obviare temptaverit, apostolica indignationis ultione plectetur; qui vero conservator extiterit, divina benedictionis gratia perfruatur. Scriptum per manum Petri Scrinarii Sacri Palatii, Indictione septima, mensis Decembris die VII. Datum Romę apud beatum Petrum per manum Johannis sanctę Romanę Ecclesię Diaconi Cardinalis, VI. Idus Decembris, Indictione septima, anno Dominicę Incarnationis MXCVIII. Pontificatus autem Domni Urbani II. Papę XI.

Eadem Cella Cassinensium Abbatibus adjudicatur.

Ita tamen ut inde sanctimonialia nunquam expellantur.

Dat. die 8. Decembris anno Domini 1098. Pontif. anno XI.

XLIX.

Monasterium S. Cucuphatis sub protectione Sedis Apostolicę recipitur: eique bona omnia, ac privilegia hæctenus concessa confirmantur.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Berengario Abbati Monasterii sancti Cucuphatis, quod Octovienis dicitur, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Ex Archivio Monast. hujus editis Mabill. loc. cit. n. cccvii.

PLÆ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia ergo dilectio tua, ad Sedem Apostolicę portum, confugiens, ejus tuitionem devotione debita requisivit, nos supplicationi tuę clementer annuimus. Beati siquidem Cucuphatis venerabile Monasterium, cui disponente Domino in Abbatem præesse dignosceris, nos juxta venerabilium prædecessorum nostrorum exemplar sub Apostolicę Sedis protectione specialiter in perpetuum manere sancimus; & tam ipsum, quam universã ad ipsum pertinentia, tibi tuisque legitimis successoribus possidenda regenda ac disponenda firmamus: aodium scilicet, quod in Monasterii ipsius ambitu circumsitum est, cum Ecclesiã sancti Petri & sancti Severi, cum omnibus finibus pertinentiisque suis, sicut in prædecessorum nostrorum privilegiis continetur: Monasterium sanctę Cæcilię de monte Serrato cum terminis & possessionibus & pertinentiis suis: Ecclesiã sancti Laurentii & sancti Stephani, quę sunt in monte, quem dicunt sancti Laurentii, cum Ecclesiã sancti Stephani, & Castellari cum terminis adjacentiis, possessionibus, pertinentiisque suis: Ecclesiã sancti Pauli extra muros Barcinonę cum aodio, quod ibi obtulit Giribertus &

Exordium.

Monasterium sub protectione Sedis Apostolicę recipitur.

Eique bona omnia confirmantur.

uxor ejus, cum omnibus, quæ modo possidet & inantea acquiserit: Ecclesiam sanctæ Mariæ de Fonte Rubea cum alodio, quod ibi obtulit Geraldus Mironis: Ecclesiam sancti Petri de Clariano, Ecclesiam sancti Vincentii de Aqua-alba, Ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Stephani de Palatio, Ecclesiam sancti Cucuphatis de Rifano, Ecclesiam sancti Stephani de Rivipullo, Ecclesiam sancti Asseli de villa Auziri, Ecclesiam sancti Martini & sancti Romani de monte Gato, Ecclesiam sancti Felicis de Castellario, Ecclesiam sancti Sebastiani de Monte-majore cum ipso monte, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Toledo, Ecclesiam sancti Felicis de villa de Milanos, Ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Petri, quod castrum Felix dicitur, Ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Johannis, quod Monasterium Mironis, Ecclesiam sanctæ Crucis & sancti Silvestri de Vallerana, Ecclesiam sancti Cucuphatis de Moja, & aliam Ecclesiam sancti Cucuphatis de Garriga, Ecclesiam sancti Benedicti de Spiselis, Ecclesiam sancti Stephani de Castellato, Ecclesiam sancti Juliani de sancta Olivacum castello, Ecclesiam sancti Salvatoris Batenensis cum possessionibus & pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Petri & sanctæ Crucis de Masquesa, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Capelades, Ecclesiam sancti Felicis de castro Odilione, Ecclesiam sanctæ Mariæ de castello de Clariano cum ipso castello, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Aqualatam, Ecclesiam sancti Petri de Viri, castellum sancti Vincentii cum ipsa Ecclesia, castellum de Albeniana cum Ecclesia sua, Ecclesiam sancti sepulchri & sanctæ Mariæ de Aposta cum universis possessionibus & pertinentiis earum, Ecclesiam sancti Martini & sancti Felicis & sancti Genesii, quæ sunt ad ipsam curtem de Fajo, Ecclesiam sancti Ginesii & sanctæ Eulaliæ, quam vocant Tapioles: alodium, quod est intra muros civitatis Barcinonæ, scilicet cum domibus, curtibus, hortibus, & hortibus, vel quantum infra territorium prædictæ civitatis præfatum Monasterium habere videtur: alodium, quod est infra terminos de castro Fonte Rubea, & de Monte acuto, & de Piniana, & de Carolo, & de castro Virili, alodium de Olorda cum ipsa turre, & alodium, quod est in duodecima sive in Misano: alodium, quod habet infra terminum de Terraria, & de Castellaro, & in Arraona, & in Barbarano, & de palatio Ausit, & de palatio Salatano, & in villa de Megoda, & de Moleto, & in palatio de Aries, & in Lisano superiore & inferiore, & in Parrochia de Parietes, & de Gallegos, & Palegarnanis, & de Petiaco, quod dicitur Bellum-diffinum, & de Petilona, & de Palumbar, & de Orto, & de Rivopullo, & de valle de Ariolfo, & de Granularios, & de Lerona, & de Meserata, & de Samatus, & de Canovas, & de Corrone superiore & inferiore: alodium de Turres beses, cum alio, quod Nelma femina ibi obtulit: alodium de Aufona: alodium de Steria, & omnia alodia quæ habet, & habere debet in prædicto Comitatu Barcinonensi, Gerundenfi, Aufonensi, & in Comitatu Minorifi cum universis terminis suis: Ecclesiam sancti Quirici cum decimis & primitiis & oblationibus suis: Decimas quoque, quas de his sive de aliis locis ante triginta annos Monasterium vestrum Prædecessorum nostrorum

concessione possedit, nos in perpetuum vestris usibus omnino quietas & integras conservari censemus. Præterea per præsentis privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quæcumque bona sive possessiones in præsentis Cœnobium vestrum juste possidet, sive in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, juste ac canonicè poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam, temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel juste datas suis usibus vendicare, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Sepulturam quoque ejusdem loci liberam omnino esse decernimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obstat. Obeunte te, nunc ejus loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam elegerint. Electus autem a Dioecesano Episcopo consecratur, si quidem gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habuerit, & gratis ac sine pravitate id exhibere voluerit. Alioquin ad Romanum Pontificem recurat, aut ab alio quem maluerit catholico Antifite consecratur. Idem & de ordinationibus fratrum, de Chrismate, de Altarium sive Basilicarum consecratione statuimus. Ad indicium autem præfite a Romana Ecclesia libertatis pro Ecclesia sancti Pauli morabatur unum quotannis Lateranensi Palatio persolvatis. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Scriptum per manus Gerardi Notarii Regionarii, & Scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, anno Domini Incarnationis millesimo nonagesimo octavo, Indictione septima, mensis Decembris die primo.

Decretum immunitatis a cuiuscumque persone molestia;

Et libertatis in eligendo Abbate ex gremio Monachorum; Electus vero consecrandus ab Episcopo. Diocesano, nisi fuerit excommunicatus: Eadem decernuntur pro aliarum consecratione, & Clericorum ordinatione. Censuræ annuæ Ecclesiæ Pauli de Urbe persolvendæ. Poenæ contra temerarios Privilegii ha-jus.

Script. die 1. Decemb. anno Domini 1098. Pontif. anno XI.

Com.

L.

Confirmatio Monasterii Burronensis in Dioecesi Constantiensi, ac donationum omnium eidem ab Adelaide, Patruisque factarum.

Edict. Brunschvici in Hist. Monast. German. pag. 74.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto Azelino Monasterii Burronensis Abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Sicut irrationabilia poscentibus negari debet assensus, sic justa petentium votis benigna debemus assensione concurrere. Ea propter charissima filia nostræ Adelaidis Comitissæ desiderio ac petitioni duximus annuendum. Hæc nimirum ad limina Sanctorum Apostolorum veniens, & suam, & Viri, & Leviri sui devotionem strenue adimplere curavit; Burronensem namque Ecclesiam cui nunc auctore Deo tua fraternitas præsidet, fœderi sui studio a fundamentis edificatam secundum ipsorum vota supra sacrosanctum B. Petri Altare obtulit; & per manum nostram in proprium Sedis Apostolicæ alodium delegavit: quam videlicet oblationem scriptorum nostrorum petit auctoritate confirmari. Nos igitur præsentis decreti auctoritate sancimus, ut tam præfatus locus, quam universa, quæ ibidem supradictorum Comitum Henrici, & Hugonis, seu prænominate Adelaidis Comitissæ largitione collata sunt, vel in futurum ipsorum, aut aliorum fidelium oblationibus conferentur, sub Apostolicæ Sedis tutela integra semper, & illibata permaneant, servorum Dei illic degenantium usibus omnimodis profutura: salva Constantiensis Episcopi canonica reverentia: ut tamen ex eodem loco unius Bisantii census annuus Lateranensi Palatio persolvatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem Cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuere, vel piis de causis suis usibus applicare. Obeunte te nunc loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptione vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam elegerint. Si quis igitur Sacerdotum, Clericorum, Regum, Ducum, Comitum, & Judicum, vel secularium personarum, hanc nostræ Constitutionis paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque dignitate careat, reumque se divini judicii existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Laterani per manum Johannis S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, VIII. Kal. Februarii indictione septima anno Domini incarnationis MXCIX. Pontificatus autem Domini Urbani Secundi PP. undecimo anno.

Confirmatur bonis omnia ad Monasterium pertinentia.

Illudque sub Apostolicæ Sedis protectione recipitur.

Alvo jure Episcopi Constantiensis.

Et cum annuo censu Palatio Lateranensi persolvendo.

Abbatibus electio Monachis conceditur.

Solita clausula.

Et libertatis in electione Abbatis.

Annus census Sedi Apostolicæ persolvendus.

Dat. die 25. Januarii anno Domini 1099. Pontif. anno XI.

Bull. Rom. Tom. II.

LI.

Simile privilegium pro Monasterio S. Saturnini in Pago Urgellensi.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro, Abbati Monasterii Sancti Saturnini, quod situm est prope amnem Valerice in parrochia Urgellensi, ejusque successoribus, in perpetuum.

Ex Archiep. Regio Faxensis Baluzius loc. cit. num. cccxix.

Exordium.

Præ postulatio voluntatis effectu debet prosequenti compleri; quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Proinde nos postulationi tuæ paternæ benignitatis accomodantes assensum, beati Saturnini venerabile monasterium, cui auctore Deo præfides, sub Apostolicæ Sedis tutela suscipimus, & in ea semper libertate manere decernimus, quam egregiæ memorie Carolus Imperator intulit, & Leo venerabilis Sanctæ Sedis Apostolicæ Pontifex privilegii sanctione firmavit, & Provinciales Episcopi scriptorum suorum assertionibus consenserunt; ut videlicet sub jure semper & proprietate Sedis Apostolicæ locus ipse servetur, ut nulla super illud laicalis persona dominatum exerceat; sed placita omnia sive judicium & distributiones omnium, eidem monasterio pertinentium, in Abbatis potestate persistant; nec Dioecesano Episcopo liceat aliquam eidem monasterio excommunicationem inferre, nec molestiam irrogare, sed quæcumque in præsentiarum quiete in authentica possessione possidere cognoscitur, quæcumque in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, juste atque canonicè poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant; ea præsertim, quæ venerabilis memoria Eribaldus Urgellensis, & Arnulfus Ripacorcentis Episcopi in dedicatione ejusdem Monasterii tradidisse & concessisse leguntur in Ecclesiis, Ecclesiarum decimis, primitiis & oblationibus, sive cimiteriis per Urgellensem, sive Ripacorcentem parrochiam, per Cerdaniam, Bergitanum, sive Paliarum: Ecclesiam quoque Sancti Petri de Villanita, apud quam statum disciplinæ monasticæ reformatæ, cum Castello suo Caragio, & Rocha quæ dicitur Sancti Romani, & cæteris ad eam pertinentibus, vestro, sicut hodie est, Monasterio in perpetuum subiectum esse concedimus. Ad hæc adjicientes decernimus, ut nulli omnino hominum liceat prænominatam beati Saturnini Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Obeunte te nihilominus ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam elegerint. Ad indicium autem perceptæ a Romana Ecclesia libertatis, quotannis unam argenti libram Lateranensi Palatio persolvatis. Si qua sane in futurum ecclesiastica

Monast. sub protectione Sedis Apostolicæ recipitur; eique privilegia omnia;

Pra donationes factæ, vel in posterum faciendæ, ac bona omnia confirmantur.

Decretum immunitatis a quacumque molestia;

Et libertatis in electione Abbatis.

Annus census Sedi Apostolicæ persolvendus.

secu.